



QVORVNDAM  
VLCERVM PESSIMORVM  
HISTORIAM MEDELAMQUE

15

\*\*\*\*\*  
P R A E S I D E

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,  
PHIL. ET MED. DOCT. PATHOL. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMQUE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. DECEMBRIS MDCCCLXXXVII.  
DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

RITE CAPESSVRVS

PVBLICE DISCEPTABIT

AVCTOR

PAVLVS TOBIAS MÜLLER,  
CALBENSIS MAGDEBURGICVS.



---

TRAIECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.





## PROOEMIVM.

Quicunque aureum istud MARCI AV-  
RELII SEVERINI opus, *de recondita abscessu*  
*natura inscriptum* \*), attente perlegit,  
ignorare omnino non potest, quantae ex ipsis  
saepe numero singulis, quae subiacent aut  
vicina tenent loca, partibus immineant ve-  
xationes

A 2

xationes

\* ) Coram est elegantissima editio, Lugduni Batavorum anno  
ccccxxiv in 4. emissâ.

xationes ulcerosaeque corruptiones. Interim,  
quantaequantae etiam hae sint, negari ta-  
men nullo potest modo, medicatricem natu-  
ram in his depellendis haud raro supra spem  
exspectationemque valere, si vel paucis,  
sed tempestiuis opportunisque, remedii sa-  
lutaria ipsius molimina adiuentur. Quot  
ego non huius generis exempla, dum in no-  
focomiis regiis Borussicis castrenisbus effica-  
cem faciebam medicinam, vidi; quot non  
in priuato exercitio deinde expertus sum!  
Date veniam, lectors, si aliquot eorum  
praesenti commentariolo breuiter recensue-  
ro. Simplex erit, fateor, nec satis comtus  
stilus: sed nuda veritas simplicitatem amat.  
Valete.

Herni-

## §. I.

*Herniae exulceratae exemplum.*

**A**nno ccccclxxxiv, die v. mensis Iunii, cum Calbensis vrbis poliatro, d. RITTERO, viro artis nostrae exercitio clarissimo. simul ego ad eiusdem vrbis ciuem, C. S. pannorum conficiendorum magistrum, opis ferenda causa, aduocabar. Multo ante iam hic ipse vir crurali sinistri lateris hernia laboruerat: quae, forte a nisu, ad eleuandum grauius pondus impenso, plurimum deterior facta, permouit aegrum, vt chirurgi cuiusdam curae se committeret. Hic autem, vt fit, in morbi diagnosi errans, venereumque bubonem hic subesse existimans, quae huic in suppurationem perducendo conuenire putabat, adhibuit, caue inopportuna medicatione malum hoc maxime exacerbavit. Aeger ergo, omnia in peius ruere sentiens; sibique de funesto exitu metuens, clarissimi d. RITTERI meumque consilium in tam ancipi suae valetudinis statu poposcit. Sub aduentu nostro aegrum deprehendimus ab omnibus viribus defectum atque exhaustum. Vniuersum abdomen distento tumore turgescerat. In hernioso sacco latens ichor fluctuatione sui indicium dabat: vnde ego permotus auctor fui, vt idem saccus incidetur. Ergo eundem postero die, consentiente d. RITTERO, ipse incidi: ex quo protinus erupit

in-

6

---

insignis copia aëris putridi, mephitin clentis, ichoris sphacelosi, fecumque aluinorum induratarum. Integro sex dierum interuallo saniosus hic atque feculentus effluxus non penitus cessavit, et corruptio sphacelosa magnam intestinorum partem, quae sacco hernioso fuerat vicina, fere destructam nobis indagantibus obtulit. Nunc vero ante omnia primam potioremque curam eo direximus, ut hactenus obstructa alius denuo expediretur: cui scopo obtainendo dedimus solutionem salis mirabilis Glauberianae aquafam pedetentim adsumendam; quae etiam mox expectationi satisfecit. Deinde in id maxime suimus intenti, ut latius progredientem sphacelum intestinorum efficaciter susteremus. Quo confilio, qualibet semihota, adsumere iussimus aegrum scrupulum pulueris pyri vulgaris, nobis hos ad usus antisepticos iam pridem multiplici experientia probati atque commendati. Nec fecellit spem vile hoc et ubique fere parabile remedium, longe pretiosioris Chinchonae vice liberaliter functum. Licet enim foetidi ichoris exstillatio ex inciso loco protinus non remitteret: sphaceli tamen progressio mox est intercepta, stilланre materia sensim in laudabile pus mutata. Ex-trinsecus ulceri partim syringae ope inieci, partim linteolis madefactis imposui sequens apozema: Rec. radic. consolidae maioris, bardanae, aristolochiae rotundae, ana vnciam, myrrhae selectae semunciam; coque cum aquae communis libra una ponder. medic. per quadrantem horae: colaturaе vnciis octo adde mellis rosarum vncias duas: misce. Praeter haec applicata est idonea deligatio, aegroque imperatus com-

commodus quietusque firus, et tenuior victus. Simplici hac medendi ratione effectum est, vt aeger sensim amissas recuperaret vires, et, sine vllis nouis gravioribus symptomatibus superuenientibus, coiret depuratum nunc vlcus, die scilicet X. mensis Iulii, nondum quinque hebdomadibus a nostro accessu penitus elapsis. Quid? quod ex eo tempore optime valet hic vir, et sine vllis sanitatis incommodis in conficiendis pannis expedite versatur.

§. II.  
*Epicrasis.*

Atque hoc ex exemplo haud difficulter constare poterit, in quanta vitae pericula coniici possit aeger, si in herniae cruralis atque bubonis accurata diagnosi committatur error. Evidem non inficiamur, haud parum attentionis atque exquisitae cognitionis anatomicae hic requiri, nisi falli velis. Idem quoque fasilius est dexterimus apud Ilmenauenses chirurgus, IOANNES GOTTLÖB BERNSTEIN a): optimo quoque consilio idoneas exposite recensens notas, quibus vterque morbus inuicem exacte diognosci potest. Haud adeo dissimile exemplum, quod idem error obtulerat, vidit olim optimus PRAESES noster, et singulari commentatione descripsit b). Erunt forte, quibus mirum videbitur, quod in adeo difficulti atque periculoso morbo virtuti pulueris pyrii antisepticae tantum considerim. Probe omnino noui,

a) In *Practischen Handbuch für Wunderärzte*; I. Th. pag. 620. seq.

b) In *dissert. de vlcere inguinis sinistri itaque intestini sanato*, hic anno CCCCCLXV. edita.

noui, quidquid huic remedio inest efficacitatis, id omne soli nitro et sulphuri tribui oportere; quod vtrumque nuperrimorum quoque medicorum experimentis inter ea, quae sepsi sunt contraria, locum occupauit. Praeter haec vero frequens etiam in castris militaribus mihi oblata est occasio obseruandi, quanta in tollendis fistendisque gangraenae sphacelique progressibus internus praestet pulueris pyrii usus. Clysteribus, quorum alioquin praestantissimus esse solet usus, in praesenti aegroto opus non fuit: quoniam alius, quandocunque in officio suo paullulum retardaretur, paruae salis mirabilis Glauberiani portioni facile obtemperabat.

### §. III.

#### *Aliud eiusdem generis exemplum.*

Accedo nunc ad enarrandum aliud haud dissimilis fere indolis exemplum. Eodem, quem supra dixi, anno, die Martii tertio, accersitus sum ad viduam quandam, tres supra quadraginta annos natam, Wischnitii, in principatu Cothanensi, incolam: quae diris vexabatur doloribus colicis, frequenti vomitu stipatis. Quantum inquirendo, quae praecesserant, cognoscere potui, originem cauflamque huius mali deprehendere nashi usus sum in intestinalibus vermis; quorum praesentiam quoque postea casus detexit. Praeter clysteres igitur emollientes et antispasmodicos sequentium quoque puluerum anthelminticorum, singulis ternis horis per diem cum aqua adsumendorum, praescripsi usum. Recipe nimirum pulueris rhei optimi et florum tanaceti ana scrut-

scrupulum vnum: misce, puluisque dividatur in duodecim partes aequales. Post biduum hoc sub vsu dicta symptomata prorsus remiserunt. Verum enim vero haud ita multo post ex improviso febris incidit, pulsu arteriarum celeri, frequenti, pleno, duroque stipata: quacum etiam priora ista mala, colici nimis dolores vehementesque vomitiones, recruduerunt: licet protinus vena secta sufficientem sanguinis copiam emitterem, salisque Glauberiani vsu aluum expedirem. Sed latebat anguis in herba: cuius praesentiam ne hariolando quidem nosse potuisssem. Ex intempestiuo enim pudore aegra reticuerat acrem quandam dolorem, a tumore quodam, in inguinali dextri lateris regione subporto, excitatum, neque tunc forte silentium rupisset, nisi a cruciatus acerbitate esset coacta. Cum ergo in vexatum locum inquirerem, haud adeo magnum illic eminere deprehendi tumorem. Ceterum vniuersum abdomen, tympani instar, erat tensum et tumidum: unde etiam frequentes, qui contingebant, vomitus, cum pulsu celeri atque paruo coniuncti, maximas molestias aegrotae intulerunt. Ipsi tumido loco imponi iussi cataplasmatia, ex mica panis, aqua, ut dici solet, vegetominali GOVLARDI intrita: a quibus, dum vix duodecim praeterierant horae, sua sponte aperitus est tumor. Incisione dilatare conabar nimis angustum ulceris ostium, ut saltem ad fundum ipsius pertingere possem: sed eo usque non pertigi. Inter haec ex aperto et inciso loco effluxit incredibilis colluviae ichorosae atque stercorariae copia: quam facile tribus mensuris consuetis aequipararem. Subsecuto

B

cuto die prodiit eodem ex ostio lumbricus, calami  
scriptorii crassitiem habens, et supra spithamam lon-  
gus. Alter eiusdem generis atque magnitudinis ali-  
quot diebus post, vix tolerabiles inter intestinorum  
cruciatus, vna cum nouo ichoris fecumque aluina-  
rum effluxu, per eandem viam foras est datus. At-  
que hic ichoris stercorisque ex vlcere prouentus,  
mox stillicidii, mox profluuii instar, toto sex he-  
bdomadum interuallo constans fuit. Ego per omne  
id temporis, vt callosos sinus auertereim, saepe nu-  
mero repetitis incisionibus dilataui vlcus, et sequens  
decoctum antisepticum atque balsamicum partim in-  
iectionibus, partim puluillis, qui superimponeban-  
tur, humectandis, adhibui. Formula fuit sequens:  
Recipe radicis consolidae maioris, ligni santali rubri,  
corticis Peruiani, myrrae selectae ana semunciam;  
coque cum aquae communis vnciis quatuordecim  
aut sedecim: colatura vnciis octo adde mellis rosa-  
rum vncias duas; misce. Interne vero partim alter-  
nis diebus vesperi praescripsi aegrotae scrupulum aut  
semidrachmam pulueris rhei; partim in singulos  
dies sequens elixirium, ex extracti myrrae aquosi dua-  
bus drachmis, in aqua menthae crispae totidem vnciis  
solutis constans: cuius sexaginta guttulas quin-  
quies sexiesue per diem cum aqua adsumere aegra est  
iussa. Atque ita demum factum est, vt, cum aegro-  
ta horum remediiorum usum quinque per menses pro-  
traxisset, vlcus optimam induceret cicatricem, va-  
letudinisque firmitas restitueretur.

## §. IV.

## §. IV.

*Epicrisis.*

Camphorae cum mercurio dulci et leni reme-  
dio laxante coniunctionem plurimum vi anthelmin-  
tica valere, frequenti experientia luculenter didiceram:  
vnde etiam eiusdem medicamenti usum hac in femi-  
na, quae mihi multis ex argumentis de colluie ver-  
minosa, in intestinis nidulante, erat suspecta, ad-  
misi. Fidei tamen meae est, haud dissimulare, nun-  
quam hoc ipsum remedium aegrotiae hoc in statu esse  
datum, si maturius de latente ista hernia certior essem  
factus; quam ideo ne suspicabar quidem, quoniam  
vel inter ipsas frequentes illas vomitiones aliis non  
adeo pertinaciter, ut in herniis incarceratis solet,  
erat obstipata, et ipsis clysteribus emollientibus haud  
difficulter obtemperabat. Detecto quoque deinde  
malo partu ille in inguinali parte tumor, qui a me  
obseruabatur, me in eam induxit sententiam: late-  
ralem quandam intestini ilei partem, nec totum  
eiusdem tubrum, hic inter annuli abdominalis an-  
gustias esse coercitam atque inclusam; forte etiam  
omenti portionem coniunctim illuc esse prolapsam.  
Maxima illa colluiei ex vlcere, cum aperiretur, efflu-  
entis copia fontem habuisse videtur partim in suppu-  
ratis intestini omentique locis, partim, et quidem  
potissimum, ex liquida illa materie alimentaria, ex  
nimio potulentorum usu, ad quem coniuncta febris  
aegram incitabat, confusa, et ad intestini exulcerati  
osculum adfluent. Sensim vero coeunte post mun-  
dationem vlcere coercitus quoque est hic effluxus,  
locusque vexatus optimam concepit cicatricem.

B 2

§. V.

## §. V.

*Graue parotidis maxillaeque vlcus.*

Succedat nunc aliud vlceris aequa grauis, ac diurni, exemplum, ex pessima malignarum variolarum metastasi origines suas deducentis. Infantulus quadriennis Septembri mense anni clo*I*o*CCLXXXVI* variolis satis mali moris adfligebatur: quarum curam in se suscepit chirurgus quidam. A quo quaenam data sint infanti medicamenta, ego quidem ignoro: hoc autem ex parentibus resciui, toto, quo variolae durarunt, tempore plures aegro propinatos esse pulueres camphoratos, omisis ceteroquin, cum ab initio morbi, tum et postea omnibus leniter aluum laxantibus. Inter haec in exsiccationis variolae stadio contigit, ut infans frequentibus epilepticis insultibus corriperetur, superueniente simul mox insigni glandularum dextri lateris saliuallium tumore. Sed haec omnia flocci pendens chirurgus, neque nunc internis remediis quidquam molitus, solumque sollicitos parentes consolatus hac spe, fore, ut tumores isti dispellerentur, in sola emplastri diachylon simplicis impositione adquieuit. Inde factum est, ut nascens iam vlcus profundius serperet, parotis dextra et vtraque maxillaris glandula firmius induraretur, congettusque ichor ad dentem caninum dextrum maxillae inferioris exitum sibi pararet, mox sub puris, mox sub saniei forma, exstillans. Ceterum prae tumore et duritie dictarum partium vel mediocris oris apertio adeo infanti erat negata, ut solis fluidioribus cibis vesci posset. His in angustiis in confitum

lium simul est vocatus haud incelebris legionis cuiusdam equestris chirurgus. Hic, dentalem fistulam hic subesse ratus, extrahendi dentis canini consilium dedit, largissime promittens: tunc etiam duros istos glandularum tumores haud difficulter dispulsum iri. Verum enim vero quomodo euellas puero caninum dentem, cuius os netres quidem lineas patebat, nae! ego profecto non intelligo. Quae cum adhuc disceptarentur, me quoque parentes die X. Aprilis anni praesentis in consilium vocarunt. Iis ergo, quae ante erant acta, et quae iam paullo ante enarraui, studiose exquisitis atque pensitatis, facile intellexi, neutquam hic simplicis fistulae dentalis praesentiam admitti posse, adeoque dentis praedicti euulsionem, si etiam fieri posset, non modo inopportunam fore, sed quoque maxime noxiā; omnia, quaecunque aderant, mala soli metastasi variolosa deberi: cum quod ineunte isto morbo primae viae a collecta faburra non essent purgatae; tum quod nimio camphoratorum abusu nimis intempestive vitales vires adeo essent incitatae, ut tandem in morbi progressu defecerint, decumbente inter haec ad exteriora loca materie variolosa. Hinc graues isti parotidum vicinarumque glandularum tumores. Nunc in me solum omnis medelae, tanto malo proponendae, cura deuoluebatur. In ancipiti prognosi me haerere oportuisse, quis non perspicit. Puer miserrimus iam erat in eum perductus statum, ut viribus fractis, pulsu arteriarum celeri, paruo, debilique, parumque hætenus nutritus, vix ossibus haereret. Quasnam hic medendi instituerem indicationes, quaenam iisdem

B 3

re-

respondentia feligerem medicamenta, diu dubius  
fui sollicitusque. Nec constabat satis, vtrum duro-  
rum istorum tumorum resolutio adhuc exspectari pos-  
sit, an emollientium potissimum remediorum appli-  
catione suppuratio sit adiuuanda? Cariem subiacen-  
tia ossa esse adgressam, saepe emanans ex vlcere den-  
tali male olens subnigricansque ichor veri simile red-  
debat. Statui igitur, interna resoluentia medica-  
menta iungere externis, tam ad emolliendum, quam  
ad resoluendum et discutiendum idoneis. Praescri-  
psi ergo primo sequentem potionem: Recipe pulue-  
ris radicis rubiae tintorum semunciam, cum aquae  
communis mensura dimidia coque parum; colati li-  
quoris vnciis quatuordecim adde syrupi de cichoreo  
cum rhabarbaro vncias duas: misce. Huius potio-  
nis cochlear consuetum quolibet bihorio aegroto est  
datum. Ordinario potui inseruit radix graminis,  
sufficienti aqua decocta et colata. Extrinsecus vexa-  
ta loca bis terue per diem leniter inungebantur lini-  
mento, ex aequalibus olei verbasci cocti et spiritus  
salis ammoniaci vinosi partibus composito; super-  
impositis deinde linteolis complicatis atque compres-  
sis, sequenti liquore madefactis. Recipe aquae com-  
munis mensuram dimidiā, spiritus salis ammoniaci  
vinosi vnciam; misce. Inter haec singulis hebdo-  
madibus semel dato rheo alius blande est laxata.  
Hac medendi methodo, intra duarum hebdoma-  
dum spatium, parum quidem mutationis hoc in ma-  
lo obseruari potuit: maxillarium tamen glandula-  
rum tumores penitus conciderunt, neque postea vu-  
quam recruduerunt. In dura vero et tumente paro-  
tide

tide status idem permanxit. Qua de causa consultius agere mihi visus sum, si efficacius remedium resoluens aegroto exhiberem. Eo consilio datus est pu-erulo mane vesperique puluis, ex sacchari albi semi-scrupulo, et calomel, atque sulphuris antimonii au- rati tertiae praeципitationis, ana semigrano mixtus. Ipsi autem parotidi vicinisque locis impositum est sequens emplastrum: Recipe emplastri de ranis cum mercurio *Vigonis*, diachylon cum gummatibus, de cicuta, asae foetidae, ana semunciam; misce. Su-per idem imponi iussi cataplasmata sequentis formulae: Recipe herbae cicutae selibram, florum sambuci manipulos tres, farinae semenis lini vncias duas; concisa fiant species pro cataplasmate. Horum re-mediorum vsui inhaesi per sex integras hebdomades, fine villa adhuc spe felicis exitus adfulgente. Proinde, quid forte sit valitum tam rebelli in morbo phel-landrii semen, in inferiori Saxonia, quam dici pot-est, celebrius, experiri constitui. Dedi igitur eius-dem contusii scrupulum, mane vesperique quotidie adsumendum: intermisso tunc dicti antea pulueris vsu. His remediis vsus sum vsque ad finem mensis Iulii praesentis anni. Verum enim vero cum inter-mitti, aut saltem inminui, exstillationem saniei ex vlcere isto ad dentem aperto non obseruarem, redii denuo ad vsum antea exhibiti istius pulueris Plumme-riani, interposuique per diem singulis ternis horis laudani liquidi Sydenhamiani semidrachmam, aquae cinnamomi non vinose vncia dilutam. Quaelibet dosis fuit viginti guttularum. Tum haud ita multo post nonnihil moderato ichoris ad dentem profluui,

in-

insigniter intumuit tota dextra faciei regio, et vix  
 elapsis tribus diebus extrinsecus sua sponte apertum  
 est vlcus; ex quo incredibilis corruptae foetidaeque  
 sanie copia est effusa. Osculo vleris dein, quoad  
 eius his in locis fieri poterat, per incisionem dilata-  
 to, amplissima apparuit ad os zygomaticum et os  
 maxillare inferius caries. Dedi nunc aegroto ter  
 quaterue per diem cochlear vni chinati, ex tenuiori  
 vino Franconico, cum cortice Peruuiano frigide  
 agitato, parati. Ad aperta vero loca vlerosa partim  
 per injectionem, partim ope linteorum carpotorum,  
 admouii liquorem balsamicum, ex saturati decocti  
 radicis aristolochiae rotundae aquosi vnciis sex,  
 et extracti myrrae aquosi semuncia constantem.  
 Vix dum octo practerierant dies, cum zygomaticum  
 os salutari exfoliatione cariem exueret: paucis diebus  
 post vero tota ea cossis maxillaris inferioris portio,  
 quae articulationi et denti canino interiacet, a reli-  
 quo osse secessit, et per aperturam vleris est extra-  
 eta: quam etiamnunc adseruo. Satis distinete in  
 fragmento hoc conspici possunt vtraque apophysis,  
 coronoidea et condyloidea, et foramen maxillare  
 posterius. Ab eo temporis momento magna quidem  
 oriebatur faciei deformitas, orisque mouendi diffi-  
 cultas. Sed, ecce! dum inter haec, continuata  
 eadem medendi methodo, totum vlcus quotidie pu-  
 riusr laudabiliusque pus concipit, sensim quoque suc-  
 creuit tota, quae perdita erat, huius ossis portio;  
 rediitque maxillae naturalis, et ad loquendum, et ad  
 manducandum, motus, parumque nunc, ex quo,  
 exeunte mense huius anni Octobri, perfecte coaluit  
 vlce-

vleris osculum, pristinae deformitatis restat. Ipse puer cum restauratis viribus optime iam valet.

§. VI.  
*Epicrisis.*

Erunt profecto, quibus fabulam scripsisse vi-debor. Sed superstes aeger, et in ipso restituta maxillae pars collata cum fragmento, quod adseruo, absolutam dictis meis facere possunt fidem. Rectissime ergo iam pridem sapienterque monuit **HIPPONCRATES**: eum, qui vlcera nosse volet, quaem quaeque exitum habitura sint, hominum, in primis naturas animaduertere oportere; quaenam ad vlcera melius, quaenam etiam deterius adfectae sunt. Nostro enim in exemplo multa occurunt, quae subtilliioris sunt quaestio[n]is. Verbi causa: quomodo destrueta hic est arteria alveolaris sine manifesta haemorrhagia? quomodo et haec, et perdita ossa pars, et nouae muscularum adhaesiones sunt restitutae? Haec profecto non arti medicae debentur, sed soli, quam deus animalium corporibus ex sapientissima prouidentia indidit, actrici, motrici, effectrici atque medicatrici naturae. Exinde etiam liquet non semper verum esse antiquissimum illud effatum, quod vulgo **HIPPOCRATI** tribuitur, adfirmans: quod quaecunque medicamenta non sanant, ea ferrum sanat; quae non ferrum, ea ignis sanat; quae ignis non tollit, ea insanabilia sunt habenda. Ex his enim plura sanat natura.




v

01 A 6631

ULB Halle  
004 931 246

3







15

QVORVNDA  
VLCERV M PESSIMORVM  
HISTORIAM MEDELAMQUE



P R A E S I D E

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.  
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-  
FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMQUE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.  
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS  
MEDICI H. T. DECANO

D. DECEMBRIS MDCCCLXXXVII.

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

RITE CAPESSVRVS

PVBLINE DISCEPTABIT

AVCTOR

PAVLVS TOBIAS MÜLLER,

CALBENSIS MAGDEBURGICVS.




---

TRAJECTI AD VIADRVM,  
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

